

Caspar Mauritius

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Casparus Mauritius ... Ad Exequias, Quas Matronae ... Getrudt Detloffs/ Viri ... Dn. Johannis Wegener/ Senatoris huius Urbis ... Relictae Viduae Liberi Moestissimi Hodie ... paratas cupiunt Omnes omnium ordinum Cives Academicos ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1657

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77744075X>

Druck Freier  Zugang



Mavritivs, C.,  
in  
**G. Detloff.**

Rost. 1657.

36.







PROGRAMMA

Quo

191.

RECTOR VNIVERSITATIS  
ROSTOCHIENSIS  
CASPARUS MAVRITIVS,

S. S. Theol. D. P. P. & Superint  
Ad Exequias,  
Quas  
MATRONÆ PISSIMÆ



Gertrudt Detloffs/

VIRI AMPLISSIMI,

DN. IOHANNIS Wegener/ Sena-  
toris hujus Urbis gravissimi p. m.  
Relictæ Viduæ

LIBERI MOESTISSIMI

*Hodiè ad horam primam paratas cupiunt*

Omnes omnium ordinum Cives Academi-  
cos sedulo & officiosè invitat.

••• (o) •••

ROSTOCHII, Typis Hæredum NICOLAI KILII  
Acad. Typogr. Anno 1657

**M**emorabilis est historia Simeonis, quam breviter quidem sed graphicè descripsit Luc. cap. II. & ante octiduum Ecclesia religiosè meditandam proposuit. Simeon inter Judæos magni nominis Rabban (hæc vox titulus omnium fuit præstantissimus, tit. Rab & Rabbi major, Magnatem potius ac principem quam Doctorem denotans) fuisse nonnullis dicitur. Buxtorffius in Abbrev. Ebr. pag. 146. notat septem tantum Hillelis posteros eo insignitos legi: Rabban Schimeonem, Hillelis Filium: Rabban Gamalielem senem, Schim. Fil. Præceptorem Pauli: Rabban Schimeonem II. Gamal. Filium: Rabban Jochanan Filium Zachæi: Rabban Gamalielem II. Schimeonis II. Fil. Rabban Schimeonem III. Gamalielis II. Filium: Rabban Gamalielem Rabbi Judæ Fil. in quo titulus eminentissimus expiravit. Primus Rabban est Simeon noster: hunc enim Filiū Hillelis esse non uno argumento svaderetur. Præcipuum est, quod cum negare nequeant Judæi, Schimeonē Fil. Hillelis fuisse primum ex Rabbanim, is tamen in Pirke Abhot, non recenseatur, sed Hilleli statim subjiciatur Nepos ejus Rabban Gamaliel. Inde motus Abarbinel quærit, quare Rabban Schimeon Hillelis Filius in serie Patrum non ponatur. Nihil ipse responderet. At rectè censet Buxtorffius, id inde factum, quod posteaquam Christum esset amplexus, ejus memoriam præterierint. Hujus Simeonis & Vitam sanctam, & obitum beatissimum Lucas expressit. Vitam enim piam non potest non excipere

peremors beata. Et qui exitum facilem atq; felicem  
desiderat, vitam hic sanctam vivat necesse est. Vita  
sancta Deum, proximum, nos ipsos respicit, & justitiam,  
cautelam, spem vivam complectitur, Justitia proximo  
tribuit, quod proximi est. Egregie Minutius Felix: *Qui  
innocentiam colit, Domino supplicat: qui justitiam,  
Deo libat: qui fraudibus abstinet, propitiat Deum:  
qui hominem periculo surripit, optimam victimam cedit.*  
*Hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt: sic apud nos  
religiosior est ille, qui justior.* Cautela (sic *εὐλαβείαν* capimus)  
nobismet ipsis prospicit. Hæc in Dei timore & reverentia  
ponit fundamentum & id sedulo atq; accuratè agit, ne  
quid committatur, quo cœlestis Patris offensa provocari,  
& vulnus infligi conscientiæ queat. Spes viva anchora  
animæ est miseris nobis & afflictis, qui Israelis pii  
vestigiiis credendo & pugnando insistimus. His virtutibus  
ornata Simeonis anima erat, quem Lucas prædicat  
justum, cautum, expectantem consolationem Israelis. Cæterum  
à se ista Simeon non habuit, sed à Spiritu sancto, qui non  
tantum erat *ἐν αὐτῷ* in Simeone per dona ordinaria sanctifican-  
tia sed etiam *ἐν αὐτῷ* per extraordinarios & peculia-  
res motus. His enim debetur illa revelatio, quod non  
esset ante visurus mortem, quam Christum oculis  
suis vidisset. Omnium quidem Christianorum est, fidei  
oculis Christum adspicere, at hoc peculiare Simeoni  
& paucissimis aliis erat, non fidei tantum, sed etiam  
corporis oculis intueri Christum Servatorem. Hic ergo  
Simeon impellente Spiritu Sancto



in templum venit, & eo quidem temporis articulo  
venit, quo Parentes puerulum Jesum eò introduxe-  
rant, ut de ipso facerent, quod ex lege consuetum  
erat. Novit enim Spiritus Sanctus temporum mo-  
menta optimè, eademq; ad Electorum salutem &  
Dei imprimis gloriam dirigit. Simeonis salutem pro-  
movit aspectus Jesu, quem ipse in ulnas recepit &  
velut charissimum pignus amplexus est, ut hunc om-  
nium Prophetarum scopum esse ostenderet, su-  
amq; erga Jesum fidem, affectum, gratitudinem te-  
stata redderet. Hæc porro laudes expressit & be-  
nedictionem Dei per se gloriosè benedicti. Benedi-  
xerat Simeon Deo vita pia: accedit benedictio  
oris: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum  
verbum tuum, in pace. Quia viderunt oculi mei salutare  
tuum, quod parasti ante faciem populorum, lumen ad re-  
velationem gentium, & gloriam speculi tui israel.* Hæc  
Simeonis vita, hæc ad mortem beatam præparatio  
fuit. Simeonis vestigia pressit Matrona honestissima  
Gertrudi Detloffs, cui hodiè exequiæ parantur. Er-  
ga proximum justitiam: erga Deum pietatem colu-  
it, sibi vixit cautè. Pugnavit advesum Satanam,  
mundum, carnem Christianæ, quin & divinas ex-  
plorationes in fide Jesu feliciter superavit. Orga-  
non extitit Spiritus Sancti, cujus impulsu libenter  
divino cultui publico interfuit atq; vacavit, & Jesum  
oculis fidei intuita thesaurum omnibus creaturis  
nobiliorum peccatori admovit, cordi impressit. Hinc  
ipsi perpetua gratitudinis erga Deum materia sub-  
nata

nata est; hinc factum, ut præmissa ad mortem debita præparatione exire cum Simeone feliciter potuerit, & triumphabunda dicere: *Nunc dimittis Domine ancillam tuam in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis tuæ Israel.* Nata est Rostochii Anno M. DLXXXV. VII. Julii, Patre Viro Spectatissimo & Integerrimo Dn. Hans Detloff/ Sen. Cerevisiario, & Collegii Nautici Seniore: Matre Fœmina ornatissima & lectissima Catharina Tancfen. Avum Paternum habuit Virum primarium Hans Detloff/ Civem & Mercatorem Rostochiensem; Aviam paternam, Fœminam decoratissimam Catharinam Friedlands. Avus maternus ei fuit Vir Præstantissimus Dn. Hinrich Tancfen/ Civis & Mercator Wismariensis: Avia materna Fœmina optima Gertrut Langen. His orta Parentibus & Avis per baptismi Sacramentum Christo implantata est. Et quanquam in tenera ætate Matre orbata fuerit, in pietate tamen & timore Domini educata adolevit, & anno ætatis vigesimo secundo singulari Dei providentia, consensu Patris & propinquorum Viro Amplissimo & Prudentissimo Dn. Hans Wegener, hujus Urbis Senatori gravissimo in matrimonium collocata est. Hoc matrimonium, quod ipsos quadraginta quinque annos raro exemplo duravit, felix & concordia & prole fuit. Vidit enim ex se natos liberos septem, Catharinam, Johannem, Dorotheã, quartã prolem in ipso partu extinctam,

tinctam, Gertrude, Henricum & Joachimum, ex quibus tres præmissi, tres adhuc per Dei gratiam superstites sunt. Maxima natu filia primum Johanni Süßtern, Civi hujus Urbis, Cerevisiario & Mercatori quondam florentissimo; & hoc defuncto, Henrico Wenten/ Civi itidem & Negotiatori hujus Urbis primario nupsit. Maximus natu filius Vir Clarissimus & Consultissimus Dn. Johannes Wegener/ J. U. D. Practicus apud nos & Judicii Provincialis Megapolitani, itemq; Consistorii Ducalis Ecclesiastici Advocatus eximius, Amicus noster pl. colendus in matrimonium duxit Viri Excellentissimi Dn. D. Matthiæ Stephani Jcti longè celeberrimi & Facultatis Juridicæ in Academia Gryphisvaldensi Senioris Venerandi p. m. Filiam. Cum Secunda filia Dorothea initio quidem Clarissimus Vir, Dn. Joachimus Süßter, Phil. Mag. & Theol. Cand. dignissimus; eoq; mortuo Vir Experientissimus Dn. Michael Neufrañz/ Med. D. & Practicus apud nos felicissimus nuptias contraxere. Has immaturus obitus solvit dilectissimi Mariti, quem secuta Vidua est ante annum, placida morte rebus mortalium exempta & in meliorem vitam translata. Tertia Filiarum nupsit Jacob Martens/ Civi & Institori Rostochiensis; sed hoc per mortem sublato secundis votis nupta est Johann Meyer/ Civi & Institori apud nos laudatissimo. Filiorum ultimus Vir Eximius Dn. Joachimus Wegener / Amicus noster pl. dilectus ante annum in matrimonium duxit Viri Adm. Reverendi, Amplissimi atq; Excel-

lentissimi Dn. Johannis Quistorpii SS. Theol. D. P. P.  
& Facultatis Senioris longè celeberrimi ut & Pastoris  
Mariani & Ecclesie Rostochiensis Superintendentis  
meritissimi p. m. Filiam. Et quod in eximia Dei be-  
nignitate donisq; singularibus deputandum, vidit  
p. d. triginta unum utriusq; sexus respectivè liberos,  
nepotes, pronepotes. Amisso vel verius pramisso  
ante quadriennium Marito dilectissimo, amissis itè  
generis & liberis, dulcissimis id unicè in votis ha-  
buit, ut dissolvi & cum Christo esse sibi liceret.  
Quod votum divina bonitas implevit, postquam  
aliquor septimanas lectulo affixa fuerat. *Honestisfe-  
mam matronam* (verba sunt Excellentissimi Viri,  
Dn. Johannis Bacmeisteri Med. D. P. P. & Physici hujus  
Urbis celeberrimi, Dn. Collegæ pl. colendi) jam piè  
de mortuam (scorbuto & Calculo graviter laborare, indica-  
bant, symptomata illa quæ aderant, quibus quamvis con-  
venientibus remediis obviam itum, tamen ob ætatem de-  
crepitam, quæ morbus per se est, vix aut ne vix quidem ali-  
quid obtinere potuimus, donec tandem viribus prostra-  
tis vitam finire cœta est. XVI. Jan. vocari ad se curavit  
Virû pl. Reverendum & Excellentiss. Dn. Nicolaum  
Ridemannam SS. Theol. Lic. & ad D. Mar. Ecclesiast.  
meritissimû, Dn. Collegâ, Compatrem & in Christo  
fratrem conjunctissimum, per quem salutiferis cor-  
poris & sanguinis Dominici sacramentis refecta  
est, postquam devotam peccatorum confessionem  
fundatam in merito Jesu sacerdotalis absolutio ex-  
cepe-


ceperat. Ex eō tempore & prædictus Dn. Confes-  
sionarius dicta scripturæ solatii plenissima ægro-  
tanti suggerere non destitit, & ipsa magni ponderis  
oracula divina è memoria depromsit, inprimis il-  
lud *Das Blut Jesu Christi* &c. quod sibi in ultima  
agonia constitutæ repeti instanter petiit, sicut id  
uberius explicabitur Funebri concione. Sic am-  
plexa Christum mortua est V. Febr. septuagesimo  
primo ætatis anno. Cum autem hodie exuvia  
Matronæ laudatissimæ in dormitorium Christiano  
ritu inferendum sit, majorem in modum à Vobis,  
omnijum ordinum Cives Academici honoratissimi  
dilectissimiq; contendimus, ut exequias frequenti  
præsentia honorare & *ovum dicitur* Amplissimæ Fami-  
liæ liberis & nepotibus pronepotibusq; con-  
testari dignemini, Simeonem  
cogitate, & HOC AGI-  
TE,

P. P. sub Sigillo Rectoratus X. Febr.  
Anno M, DC, LVI.

Conventus erit in Æde  
Mariana.













lentissimi Dn. Johannis Quistorp  
& Facultatis Senioris longe celeberrimi  
Mariani & Ecclesiae Rostochiensis  
meritissimi p. m. Filiam. Et quoniam  
nigritate donisq; singularibus  
p. d. triginta unum utriusq; sexus  
nepotes, pronepotes. Amisso  
ante quadriennium Marito dilecto  
generis & liberis, dulcissimi in  
buit, ut dissolvi & cum Christi  
Quod votum divina bonitas in  
aliquot septimanas lectulo affixum  
*matronam* (verba sunt E  
Dn. Johannis Bacmeisteri Medici  
Urbis celeberrimi, Dn. Collegae  
de mortuam scorbuto & Calculo gra  
bant, symptomata illa quae aderant,  
venientibus remediis obviam itum  
crepitam, quae morbus per se est, vix  
quid obtinere potuimus, donec ta  
tis vitam finire coacta est. XVI. Jan.  
Viru pl. Reverendum & Excelle  
Ridemannam SS. Theol. Lic. & ac  
meritissimu, Dn. Collega, Comp  
fratrem conjunctissimum, per qu  
poris & sanguinis Dominici s  
est, postquam devotam peccato  
fundatam in merito Jesu sacerdo

ol. D. P. P.  
& Pastoris  
tendentis  
a Dei be  
um, vidit  
è liberos,  
pramisso  
missis ite  
votis ha  
i liceret,  
postquam  
Honestis si  
imi Viri,  
fici huj  
di) jam pie  
re, indica  
mvis con  
etatem de  
videm ali  
m prostra  
se curavic  
Nicolauum  
ecclesiast.  
n Christo  
teris cor  
s refecta  
essionem  
lutio ex  
cepe-



the scale towards document